

LA GALLERIA DI MINERVA

Tomo II. Parte III.

IOANNIS CIAMPINI

ROMANI IN UTRAQUE SIGNATURA REFERENDarii
EXPLICATIO DUORUM SARCOPHAGORUM

Sacrum Baptismatis ritum Indicantium.

Illustrissimo, ac Præstantissimo Viro

ANGELO CORRARIO

Hieronymus Albricius Bibliopola humillimè D. D.



L. V. Ioannis Ciampini Romani, qui Christiana Fidei Apostolicam veritatem eruditè assequitur, & Christianarum Antiquitatum methodum miro, ac versatili suppeditat ingenio, multa, quæ docta Syntaxi edidit, horum Sarcophagorum nimirum ancipitem historiam diluit, tutamque in sedem reponit: Tu Vir Præstantissima, qui ob Antiquitatis Genium vetustam ac multiplicem Numismatum seriem

sidet, ordine inter alios enites, ac Cymelys omnium ore emines, hos valescunque sensus benignè excipe, nominis tui Fama undique resonat, & Generositas; meliori ideo intuitu huiusce dissertationis Dirigalia uti soles, inspice, nec Præstantis Viri Doctrinam, aut me obsequen- despice, Tibi felix, faustumque incrementum vitæ, Domus orna- tum, in posterum de Superis auguror.

K

EXPO;

E X P O S I T I

D U O R U M

S A R C O P H A G O R V M

Q U I A N A G L Y P T Æ L A B O R E E X C I S I

*Affervantur Neapoli in Palatio Excellentissimi Principis Caramanici
in Suburbio, quod dicunt Chiaja.*



PRIMUM Christianæ Religionis mysterium, seu Sacramentum, quod ad salutem Ianuam pandit, Baptismus, quod expressis pronunciavit verbis, inquit Auctor, **JESUS CHRISTUS**, dum dixit Nicodemus, Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum DEI. Ioan. cap. 3. n. 5. Baptismus enim est, quo geniti mundo, regenerantur gratiæ, & ablutionem corporis diluitur anima, & per ejusdem immersionem à submersione in ignem æternum liberatur. Iamque communis naufragii nuncupatur Tabula, cujusque tanquam Arca Noe ab illuvie peccatorum, & sempiterno interitu homines salvantur. Hoc humani generis ipse Redemptor nobis palam fecit, dum in Jordanne, à Joanne Baptista baptizari voluit. Sic narrat sacer Evangelista Marcus. num. 9. *In diebus illis venit Iesus à Nazaret Galilee, & baptizatus est à Joanne in Iordanne.* Hoc mirabile Sacramentum, tam à priscis, quam à recentioribus Fidelibus picturæque sculptura expressum proponitur, ut innuimus in Tab. LXX. S. Joannis in frontem veniæ in prima parte cap. 25. nostri operis vet. monim. ac in aliis tabulis, quas à parte eorundem nostrorum operum, Deo dante, exhibebimus. In hisce tabulis Christus immersus in aquis, nec non Joannes aquam super caput ejus effudit. Hinc, apud quosdam oritur dubium, an per immersionem, seu per aspersionem utramque fieri debeat? Quod antiquitus iste sacer ritus per immersionem celebrari adfuit testimonia variarum Iconum, variorumque Scriptorum. Præter relatas, duas alias afferro, alteram per immersionem, & aspersionem sacrum ritum mentem, alteram tantummodo per aspersionem. Veneranda hujus antiquæ monimentorum exemplar, nobis Neapoli, jam à nonnullis transmisit annis Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus Andreas ab Aquino Episcopus olim Tricaricensis, cui ob hanc tatem hanc, me devinctum esse fateor; scripsit mihi hæc monumenta marmore insculpta in Palatio Principis Caramanici Affinis sui, duosque Sarcophagos reportare, quos repertos fuisse, asseruit apud maritimam oram, vulgo Chiaja, Neapolitane urbi, in Villa ejusdem Principis. Cum igitur in ambobus hisce Sarcophagis proluxa barba expressi sint, non abs re conjectari potest, ipsos aut Longobardos, aut Græcos denotare. At cum in illa reperti sint regione, me minimè falli autumo, xero representare Longobardos, qui ad Christianam fidem à Theodelinda, quæ regnavit, & ornamentum Bavarie Principum extitit, sic eam ad Annum 591. n. 41. Ecclesiasticæ historiæ parens, Cardinalis Baronius nominat, conversi fuere.





Antequam meam hanc conjecturam, rationibus fulciam; operæ pretium poscit, nonnullas proponere difficultates, quæ obijci possunt, ut hisce solutis, unusquisque facilius deinde suam valeat promere sententiam.

Prima, quæ adduci potest difficultas est, quod Theodelinda jam fuisset Catholica, quando Agilulfum Virum suum, ut infra dicturi sumus, ad Christianam amplectendam Religionem adduxit; Ergo non potest stare simul cum Viro in pelui, ut expressa cernitur in Sacrophago, quia Baptismus ritu debito collatus reiterandus minimè est.

Secunda. Quod omnes Longobardi erant Ariani, ergo baptizati, itaque vir, & mulier in pelui expressi, Longobardi minimè sunt.

Tertia. Utrum Longobardi, Neapoli commorari fuerint?

Ut autem his motis difficultatibus satisfiat, clariusque veritas elucescat ab alto sumendus est sermo, quem minimè ingratum fore, puto. Sic disserentem referam Ioannem Adlzreitter, qui licet Neotericus sit Scriptor, tamen in propriæ Nationis gestis, aliis edoctior putandus est. Hic in sua historia Bavarica parte 1. lib. 6. n. 10. de Theodelinda sic narrat: *Garribaldus ob eam victoriam Longobardis addictior, affinitatem junxit cum Rege Authari. Habebat præter Evini conjugem filiam alteram Theodelindam, Principem Virginem, in quam Cælum omnia corporis animique decora videbatur contulisse. Autharis à Longobardis Rex salutatus, spe pacis à Francis obtinenda Clodovindam Sigeberti Mediomatricum Regis filiam ambiverat, & a Childeberto Virginis Germano, ejus potiunda promissum acceperat: verum ut vacillanti saepe futuri matrimonii sponiones, Clodovinda Reccaredo Gothorum Regi, qui Bada Regina defunctæ Hispaniæ Regnum obtinebat, in manus convenit, eò maximè, quod Reccaredus nuper Hermenegildi fratris exemplo, deserta Leovigildi patris Ariana perfidia, ex Leandri Episcopi Hispanensis institutione, Christiana sacra suscepisset, Authari nondum vana Deorum religione expedito. Ad hoc consilii non parùm momenti attulit Gothica potentia, quæ longa annorum prosperitate roborata effecit, ut is sponsus placeret magis, qui sperabatur fore utilior. Autharis repulsam passus, multaque de violatis Franci promissis conquestus, sua vota ad Regis Garibaldi affinitatem converterit, & quam ad nuptias expetebat Theodelindam, non aegrè impetravit. Eare per Legatos confecta Autharim visenda Sponsæ juvenilis ardor incessit, ne alienis potiùs oculis, quàm suis, quæ de sponsæ forma, præclarisque virtutibus acceperat, usurpassè videretur. Ergo per speciem Regiæ Legationis, sene quodam è familiaribus fidissimo, paucisque aliis, qui aliquam pompam facerent, comitantibus, ipse alienum habitum mentitus se Verona in Bojariam contulit. Ut fuerunt admissi ad Garibaldi colloquium, senex, qui primas fictæ Legationis partes agebat, Regis sui nomine, quæ se in mandatis agebat accepisse, peroravit. Autharis in scenâ personatus, addidit ad ea, quæ senex dixerat, se a Rege Authari, quæ pars altera causæque sui adventus, & Legationis esset, jussum, cum bona Garibaldi venia, Theodelindam salutare, ut inspecta coram ejus forma, Sponso cum fide referret, quæ oculis accepisset. Ea civilitas Garibaldo placuit. Licebit utique tibi (inquit) ut habitumque sponsæ visere, & Authari referre. Ergo adducitur Theodelinda, ea morum, & vultus elegantia, ut Autharis tacitè Virginem admiratus, cuicunque fortune, & dignitati parem judicaret, Tum conversus ad Garibaldum: satisfactum, quidem est Regis, Domini mei desiderio; sed ignosce obsecro meæ confidentiæ, si alterum quoque beneficium Regis mei verbis à te rogitò, ut dicar probe functus meæ Legatione. Et illud quidem est, à te impetrem eam gratiam, qua Theodelindam jubeas, quippè quæ Regni, nostrumque omnium propediem imperium aditura est, sui in Regem amoris, & propensi in gentem nostram affectus tesseram hospitalem, videlicet pateram, in Autharis salutem mihi benignè prælibare. Et hoc per me licet, inquit Garibaldus: Tu verò filia poculum tempera, & hospitibus propina more patrio. Fecit illa, quod erat jussa a parente, & prælibatum craterem, seni, potiori legationis mimo porrexerit, tum deinde Authari. Is cum Virgini pateram redderet, manus ipsius digito præstitit nemine advertente, & crescente fidentia palmam explicatam duxit per frontem, cæterumque faciem erubescens, nec obscure hospitis libertati irascentis. Quæ de re cum apud nutricem indignabunda querelas deponeret, diceretque petulantem hospitis audaciam, ad sponsi injuriam pertinere, quæ certè non deberet dissimulari, ne credi aliquando posset*

Theodelindam fame, pudicitieque hactenus illibata, os, frontemque delibatam, sua culpa, sponsum attulisse; nutrix acerbè queritanti solata monuit, à quarimoniis in præsens sibi temperaret, sibi haberet potius persuasum, neminem prater Regem Autharim id ausum esse, brevicertò comperituram. Sponsum ipsissimum esse, qui sibi id licentia sumpisset, quam nullus alius, nisi capite periculo tentasset. Et si à morum majestate, & totius oris, corporisque compositione verè regia liceret ratiocinari urbanitatem longè excellentissimam flavam casariam vultus amantatem plenam dignitatis, Regem prode: quare ne dubitaret sponsum incognita licet specie, adfuisse. Pacata his dictis Theodelinda dolorem præsint, quem cum Autharis ex rubore, & contracto ad iram vultu notasset; magnoperè fuit recreatus; quod non nesciret, frontem verecundam, animum joci licentioris impatientem, horrorem contactus alieni, non modò bonos esse custodes, sed etiam judices inaminate pudicitie. Cum Garibaldo valescisset, nobilis Bojorum comitatu iter est ingressus. Italia finibus imminens, se honorariis Stipatoribus hoc signo prodidit; Equo, quo vehebatur asurgens, toto nisu securiculam manuariam arbori, ad virium ostensionem impegit, cum dicto; sic solet ferire Rex Autharis. Quibus verbis, Boiis comitibus omnis est absterfa dubitatio, bellum istum Legatum, esse ipsum Longobardorum Regem. Contingere hæc anno Christi DLXXXIX. cum pestis inquit naria, altera vice recrudescens, innumeram hominum multitudinem, ipsamque Romanum Pontificem Pelagium, cujus precibus se stare Urbs arbitrabatur, sustulit 8. Id. Febr. ut habet Sigonius, anno DXC. Eodem Sigonio teste, Autharis abiecta gentilitate cum suis lapsus est in Arii errores, & feriis Paschalibus Longobardorum liberos jussit vetere quidem Ecclesiarum ritu, sed in fide Ariana expiari. De quibus postremo infra multa subjiciam. Successivè idem Auctor suam prosequitur narrationem n. 13.

Etenim Longobardi, accepto de Regis sui nece peracerbo nuncio, coactis properè Ticini Procerum comitiis, Legatos miserunt in Galliam pacem petituros, deque Rege creando deliberarunt. Placuit in commune, ut Theodelinda omnes Regis eligendi suffragium deferretur, ea lege, ut quemcumque illa sibi maritum optaret, idem Regno, simul & ejus connubio potiretur. Illa audito virorum sapientum judicio, Agilulsum Taurinatum Ducem legit, virum fortem, & dignum imperio. Pompe nuptiali Laumellum oppidum dixit. Eo vocatum Agilulsum, cum ad familiare epulum admisisset, jussit adferri poculum vino temperatum; quod cum Agilulfo pralibasset, quod erat reliquum, obtulit ebibendum. Is cum accepto cratere, Regina dexteram honoris causa basiaret, Regina verecundo suffusa rubore: Id verò nunc (inquit) agitur Agilulfo, non ut suavioris manum, sed nisi per te stat, os Regina, Maritus, Rexque futurus osculeris; mox erecta ad osculum de nuptiis, si eas ipse quidem probaret, deque adeundo Regni fastigio, suam ipsi mentem aperuit. Secuta sunt private conjugii caeremonie incunte Novembri, gratalante Longobardorum, qui tum pauci aderant, Procerum corona, & salutante Regem Agilulphum, Sequenti deinde Majo, in publico Principum cætu Agilulfus donatus est Mediolani Regni insignibus, in quibus corona aurea ferreo annulo, Theodelindæ jussu, interius circumducta: quam ex eo tempore in usum fuisse memorant, quoties peracta fuit Italia Regum inauguratio, coronæ ferreæ nomine retento. Et paulò post sub num. 14. Agilulfus sacris undis ablatus Petri nomen accepit; an verò Theodelinda domi paternæ Religionem conbiberit, an meliori institutione in Italia, quàm in Norico sit usa, in ambiguo est, vorò tamen similius est è patria attulisse bonam indolem, & initia pietatis, & ejus absolutionem hausisse in Italia. Sed illud est majus omni admiratione, quod cum id ævi virorum sapientissimorum copia non deesset, Deus uno eodemque saculo, tres potentissimas totius Europe nationes, mini Christiano quamlibet insensissimas ad mansuetudinem Christi adjunxerit per totidem feminas: Francos in Gallia per Crotildem Burgundam, Gothos in Hispania per Ingundem Francam; Longobardos in Italia, per Theodelindam Bavaram, quibus gens Boica accessit per Francam Reginotundem. Agilulfus ex Uxoris suasu, & ductus vitæ superioris penitudine, Sacras opes, & Ecclesias bellis vehementer afflictas cepit instaurare, novisque cumulare possessionibus, Antiquitates, quos temporum acerbitas valdè depresserat, pristinis honoribus reddere. Gregorius Pontifex, verè Magnus, actis Theodelindæ per litteras gratiis, id egit, ut Regi Agilulfo auctor esset pacis cum Romanis, ceteraque Italia, quam Longobardi totam non dum subegerant, incundæ: cum datis ad Italiam

Episco-

Episcopos mandatis, eos jussit Longobardorum filios nuper in heresi Ariana perperam ablutos, fidei Catholica conciliare. Agilulfus nihil habuit antiquius, quam ut pacem Italia redderet: quam ad rem Agnellum Tridenti Episcopum misit in Franciam, qui captivos, ex agro Tridentino nuper obductos, redimeret: Evinum Tridentinorum Ducem ei dedit comitem, cum mandatis, ut pacem agicaptam daret confectam. Episcopus benignè acceptus, complures mortales in libertatem asseruit; Brunehilde Regina, Childeberti Regis Matre, quæ suo are multos vinculis exemit; adjuvante. Evinus ad certum annorum numerum inducias impetravit, quæ renovata sæpius arma Francorum continuaverunt, ne in Longobardas stringerentur.

Perpendenda sunt istius Auctoris narrata, qui asserere minimè audet, ubinam Theodelinda Christianam suscepit fidem, in Norico ne, vel in Italia. Concludit postea bonam indolem, & pietatis initium è Norico attulisse, in Italia verò Christianam amplexatam fuisse Religionem. Audiamus modo Paulum Warnefridum Diaconum Aquilensem propriæ Nationis facta describentem, qui in fine Octavi sæculi clauit. Is lib. 4. cap. 5. sic fatur: *His diebus* (scilicet anno 590.) *sapientissimus, & beatissimus Papa Gregorius Romanæ Urbis*, postquam alia multa ad utilitatem Sanctæ Ecclesiæ scripserat, etiam libros quatuor de Vita Sanctorum composuit, quem Codicem Dialogum, id est duorum locutionem, quia cum colloquens cum suo Diacono Petro ediderat appellavit. Hos igitur libros præfatus Papa Theodelinda Regina direxit, quam sciebat utique, & Christi fidei deditam, & in bonis actibus esse præcipuam. Ac cap. 6. prosequitur: *Per hanc quoque Reginam multum utilitatis Dei Ecclesia consecuta est.* Nam pæne omnes Ecclesiarum substantias Longobardi, dum adhuc gentilitatis errore tenerentur, invaserant; sed huius salubri supplicatione Rex permotus, & Catholicam fidem tenuit, & multas possessiones Ecclesiæ Christi largitus est, atque Episcopos, qui in depressione, & abiectioe erant, ad dignitatis solidæ honorem reduxit. Ex hac itidem narratione, etiam in ambiguo manet, quoniam tempore ipsa Theodelinda Christianam suscepit fidem; Propterea huius etiam Auctoris sunt perpendenda narrata: Is dixit, Theodelindam Christianæ fidei fuisse deditam, id est propensam, at non sacro fonte dilutam, & si divinari fas est, jam in Christianis dogmatibus instructam, five catechizatam nondum tamen baptizatam; quia Autharis primus ejus maritus Catholicam averfabatur Religionem; quare ad ejusdem Theodelindæ bonam fovendam intentionem, illiusque captandum animum, S. Gregorius Dialogorum codicem, à se compositum, direxit. Quod initio anni 591. nondum Theodelinda baptizata fuerit, ex ipsius Gregorii epistola 16. lib. 1. Indict. 9. ad universos Episcopos Italiæ scripta deduco, in qua conqueritur, quod nefandissimus Autharis (scilicet supra citatus Rex, ac ipsius Theodelindæ Vir) in Paschali solemnitate Longobardorum filios, in fide Catholica baptizari prohibuisset, pro qua culpa eum divina Majestas, celeri multavit morte, nec aliam solemnitate Paschalem aspexit. Autharis decessit Mense Septembris Anno 590. ut placet Sigonio, ex quo colligo, Theodelindam adhuc non fuisse Christi fidelem, quoniam si Christianam Religionem jam amplexata fuisset, utique ad illam de hisce baptizatis scripsisset, sicut de aliis rebus postmodum scripsit. Mortuo enim Authare Theodelinda ejus uxor propositum, quod ipso vivente jam mente conceperat, nempe de amplectenda religione, facilius fovere potuit, Monachorum conversatione, ut ex alia epistola 42. lib. 7. Indict. 2. ejusdem Gregorii ad ipsam Theodelindam colligo, in qua probi Abbatis meminit; cujus nam Monasterii probus iste Abbas fuerit, ex alia deducitur epistola 22. lib. 9. Indict. 4. nempe Monasterii S. Andree, & Lucie. His positis, me puto, multa in lucem emisisse, quibus firmo Theodelindam anno 591. sacrum suscepisse baptismum, ut clariùs infra apparebit. Ad secundam itaque transeamus difficultatem.

Pro majori meæ conjecturæ firmitate, quod Vir in pelui expressus, Agilulfus sit, numismatis adduco exemplar, quod refert Angelus Beneventanus in sua Longobardorum Regum Gentiliaca arbore, ubi sub nu. 4. ejusdem Agilulfi adhibet ex nummis, five

nummis matibus depromptam imaginem, quæ barbatum Virum demonstrat, multamque uniformitatem cum Viro in Sarcophago expresso habet. Insuper in eadem figura notandum, in capitis summitate, more Christianorum Imperatorum Crucem adesse, ex qua deduco, illum primum Regem Christianum, Longobardorum, Regum fuisse, cum illum sequentes eadem cruce appareant insigniti, præcedentes verò illa careant. Nummi, sive nummismatis exemplar sequens est.



Quòd Longobardi omnes Ariani essent, in hoc solvendo dubio, immorandum minimè est, cum jam Eminentissimus Purpuratorum decus Baronius, ad annum 573. illud annuerit demonstrans, partim Christianos, partim verò Gentiles, Idolorumque fuisse cultores, in quorum extitisse numero Agilulfum, secundum Theodelindæ maritum, autumo. Quapropter ab hac difficultate tertiam exagitemus, nempe: Utrum Longobardi Neapoli commorati fuerint.

Pro affirmativa adduco sententia, Longobardos anno 571. Beneventanam occupasse Regionem, illamque usque ad annum 971. detinuisse, ut dignissimus Præsul Vigiliensis Episcopus Pompejus Sarnellus in suis memoriis Chronologicis Ducum, & Principum Beneventanorum ostendit. Hoc medio tempore, nempe anno 615. iidem Neapoli degebant, eamque invadere tentarunt, ut ex laudato Baronio ad ann. 604. infero, & ad dictum ann. 613. num 5. lego, Eleutherium Exarchum ab Imperatore Neapolim missum fuisse ad compescendam rebellionem, quam Joannes Confinus istius Civitatis, & Provinciæ Præfectus, cæso Joanne Exarco, molitus erat, qui paulò post ab eodem Eleutherio etiam occisus fuit, ut laudatus Paulus Diaconus lib. 4. cap. 33. testatur. Verosimile propterea est Agilulfum Confini Consanguineum fuisse; propterea, tam ratione sanguinis & Nationis, quàm etiam Vicinitatis, amicum unitumque eidem fuisse, & dum Confinum Neapolis habenas regebat, ibidem Agilulfum obiisse, ac in Chiajæ ejusdem Civitatis suburbio fuisse tumulatum.

His demonstratis, satis me probasse autumo in pelui expressos Theodelindam, ac Agilulfum Virum suum, repræsentare. Superest modò, ut pro majori Lectoris intelligentia non nullas alias explanem difficultates, quæ ex ejusdem tabulæ oriuntur aspectu.

Prima est de Ministro Baptismi, qui ex vestibus Laicum fuisse apparet.

Secunda est Baptismatis forma, quæ per asperisionem, & immersionem repræsentatur.

Quoad primam, quòd minister Laicus sit, clarissimè ex indumentis concernitur, nam clamide, sive pallio, & thorace, nec non colobio, accoturnice, seu tibialibus vestitus est; insuper rasam habet barbam. Quare hæc omnia hominem latinum esse designant. Quod Laici in necessitate baptizare licitè valeant: omnes conveniunt Canonistæ. Pro præsentis verò exprimendo baptismatis ritu audiamus celeberrimum Scriptorem Tertullianum disserentem qui cap. 17. de baptismo sic loquitur: *super est concludendam materiolum de observatione quaque dandi, & accipiendi baptismum commonefacere. Dandi quidem habet jus summus Sacerdos, qui est Episcopus, de iinc presbyteri, & Diaconi non tamen sine Episcopi auctoritate propter Ecclesiæ honorem, quo salva, salva pax est; Alioquin*

etiam Laicis jus est, quod enim ex aquo accipitur ex aquo dari potest, nisi Episcopi jam aut Presbyteri, aut Diaconi vocantur dicentes. Domini sermo non debet abscondi ab ullo. Proinde, & baptis-
mus, aque DE census ab omnibus exerceri potest; sed quanto magis Laicis disciplina verecundia, &
modestia incumbit? cum ea majoribus competat, ne sibi adsumant dicatum Episcopis officium Episco-
patus Emulatio, schismatum mater est. Omnia lucere dixit Sanctissimus Apostolus, sed non omnia
expedire. Sufficiat scilicet in necessitatibus utaris, sic ubi aut loci, aut temporis, aut personæ conditio
compellit. Tunc enim constantia periclitantis. Quoniam reus erit perditioni hominis, si supersederit
prestare, quod liberè potuit. Igitur supra relata verba: aut personæ conditio compellit, quæ in casu
nostro applicari posse videntur, & summo perè.

Hæc prima fronte, mea fuit sententia, quæ cum nonnullis doctis, ac eruditis fuerit à
me communicata viris, eos contrarios adinvenit, eo quia sustinebant, Baptismum abs-
que culpa per Laicum ministrari non posse, quando in promptu est Sacerdos: sed in alla-
to Sarcophago representantur Monachi senes, qui verosimiliter Sacerdotes erant, &
fortè iidem, qui Agilulfum catechizarunt, propterea ad eos absque ullo dubio specta-
bat Baptismum ministrare. Obiectio hæc licet validissima sit, nihilominus suas habet
responsiones, si in allatis Tertulliani verbis insistere velimus, qui necessitatem expri-
mens, ad tria capita reducit, nempe ad locum, ad tempus, & ad personæ conditionem,
quæ tria in præsentis nostro Emblemate concurrere existimo: ad locum, qui erat tunc
possessus a Longobardis Ethnicis, sive Arianis: ad tempus, quia iidem dominabantur;
ad personæ conditionem, quia de illorum Rege, & Regina agebatur. Propterea ab il-
lius tunc temporis Episcopo magni momenti existimata fuit Zelotypia, quæ forsitan
ipsum Regem à Baptismo retrahere poterat, ob deficientiam personæ sibi benevolæ,
quæ baptismum ei conferret. Quamobrem magis ad Religionem propagandam con-
ducebat hanc concedere facultatem Laico, quam illam denegare. Reges enim non ea-
dem mensura, quæ ceteri inferiores metiendi sunt, cum ex illorum voluntate Subditi
dependeant; quare si ad novam Rex convertebatur fides, Subditorum etiam conver-
sio sperari prudenter poterat, ut cecinit Vates:

Mobile mutatur proprio cum Principe vulgus.

Et alius pariter cecinit:

O quanto exemplo generoso in Principe vis est!

Tu vitando vetas, tu faciendo jubes.

Princeps, principium motus, Rex regula vite.

Circumfert, Cælum sidera; Rex Populum.

Plura alia pro mei firmanda sententia, quod Laico, in proposito casu, licuerit ef-
se Ministrum Baptismi, adducere valerem, nisi nimis timor prolixitatis me retarda-
ret. Sufficiat hic pro ejusdem sententiæ majori firmitate, inter nostri ævi Theologos,
inclytum Suarez adducere, qui in tertiam partem D. Thomæ. Tom. 3. q. 67. plura de
Baptismo fatur, & præsertim: *in Baptismo non semper necesse est extremam necessitatem expe-*
ctare, nam etiam extra illum, propter magnam utilitatem, aut ne cogatur, quis multo tempore
baptismum, differre potest illum à Laico, vel alio simili Ministro recipere. Ed idèd fuit conveniens
hanc potestatem concedi absolutè, & non limitatè ad casum necessitatis extremæ. Non officit ad-
dere, quod Monachi, præsentibus eidem Baptismo cernantur: Nam ibi forsitan ab
Artifice expressi fuere, non uti Baptismi testes, sed ut ejusdem Baptismi Auctores.
Nolo hîc sub silentio præterire, quod Monachi primis Ecclesiæ sæculis ad sacerdotale
munus minimè ascendebant, ut fusè, ac eruditè demonstrat Sacrorum Canonum il-
lustrator modernus Gonzalez ad tit. de Elect. potest. cap. 1. ad quem benignum mitto
Lectorem. Insuper Monachi presbyteri radebant barbam, Conversi laici eam proli-
xam deferebant, ut docet Dufresne in Alcibiade pag. 283. & Marthene, de antiquis
Monachorum ritibus lib. 5. cap. 7. num. 25. in fine. His obiectiõibus, & responsioni-
bus expositis, altera insurrexit difficultas, nempe Zelotypiam causam motivam in
hoc

hoc baptismo esse minimè potuisse, ut à Laico conferretur baptisma, cum in altero Sarcophago Vir simili modo vestitus cernatur, qui super caput Viri barbati, sacram effundit undam; quamobrem Zelotypia in hoc non cadit, ideò non potest mea militare opinio. Hæc nova difficultas, me ad alia conjectanda impulit. Primo igitur locum meum in mente revolui, quod primis Ecclesiæ sæculis Christiana Religio, veluti flos agri è solo erumpebat: Postea Romani Pontifices, Concilia, aliique Ecclesiæ Patres decretis, sacrisque Canonibus à vepribus, aliisque inutilibus plantis eam repurgarunt: sicque Clerici, & Presbyteri; peculiare non habebant vestes, postea à Canonibus præscriptas, sed eas gestabant, quas consuetudo Clericalis introduxerat: nonnulli verò conditionis suæ immemores, laicalia gerebant vestimenta. Clarè id deducitur ex Canone 3. Conc. 1. Romani habitus sub Zacharia summo Pontifice anno 743. qui sic se habet: *ut Episcopus, Presbyter, & Diaconus secularibus indumentis minimè utantur, nisi, ut concedet tunica sacerdotali. Sed nec dum ambulaverit in Civitate, aut in via, aut in plateis sine operimento præsumat ambulare, præter si in itinere longo ambulaverit.* Si igitur mos iste inter Episcopos, Presbyteros, ac Diaconos, vestes sæculares gestandi, anno 743. vigeat, quanto magis anno 600. quo tempore floruit Agilulfus, cum leges, quæ eduntur, abusus jam, ut plurimum, à longo tempore introductos, corrigant. Ulterius addo; vestes illæ, licet laicales appareant, nihilominus Episcopales sunt, si integram fidem præbere velimus Paleæ, quæ habetur dist. 96. cap. Constantinus ille secundo: ubi idem Imperator concedit Sylvestro summo Pontifici, ejusque successoribus inter alia corporis ornamenta, Chlamydem purpuream, atque tunicam coccineam, & omnia imperialia indumenta, quæ appropriantur ipsi figuræ in Sarcophago expressæ. Quæ opinio si admitteretur, utique controversiam Paleæ confirmaret, sed cum in præsentiarum Alienatorum fratrum numerus abundet, hanc quoque omitto conjecturas, & ad certiore me convertito.

Apud antiquos mos fuit, qui adhuc viget, & servatur, quando Apostolici Viri, ad prædicandum Evangelium mittuntur in Regionem, à quibus Christiana, & Catholica exulat Religio, viri illi mentitis vestibus in illas se conferunt partes. Assertionem hanc celeberrimus Purpuratus Baronius ad annum 370. num. 8. exemplo, ex Theodoreto desumpto, firmat, scribens, Eusebium Episcopum Samosatenum, cum multas Ecclesias Pastoribus orbatas intellexisset, habitu militari, ob Arianorum metum, indutum, & capite thiara operto, Syriam, Phœniciam, ac Palestinam peragrasset, ac Presbyteros, & Diaconos creasse. Hæc praxis hujusmodi gestandi vestes à similibus viris omnibus notissima est; nostroque ævo clar. mem. Christiana Svecorum, Vandalorumque Regina catholicam amplectari volens religionem, secretò duos ad se vocavit omnigenæ scientiæ præstantes viros, nempe P. Malines, & P. Casati Soc. Ies. qui tanquam nobiles Itali curiositatis gratia, exterarum peragrandi Regionem, laicali habitu Stoccolmum, Regiam Urbem, se conferrent, ut fusè narrat Comes Galeatius Gualdus in ipsius Regine vita. Ex narratis igitur, motæ difficultati, de Baptismi Ministris me satisfecisse duco, & ad secundam, superius etiam motam difficultatem de Baptismi forma me convertito.

Ex S. Cypriano in epist. 59. ad Fidum Episcopum habemus, quod ævo suo Ministri baptismi post sacrum Lavacrum Baptizatos osculabatur, sic enim iste Christi Athleta loquitur. *Nam DEUS ut personam non accipit, sic nec ætatem, cum se omnibus ad Cælestem gratiæ consecutionem æqualitate librata præbeat Patrem. Nam, & quod vestigium infantis in primis partus sui diebus constituti, mundum non esse dixisti, quod unusquisque nostrum adhuc horret osculari, nec hoc putamus ad cælestem gratiam dandam impedimento esse oportere, scriptum enim; omnia munda sunt mundis. Nec aliquis nostrum id debet horrere, quod Deus dignatus est facere. Nam etsi adhuc infans à partu novus est, non ita est tamen, ut quisque illum in gratia dandi, atque in pace faciendâ horrere debeat osculari; quando in osculo infantis unusquisque nostrum præ-*

in sua religione ipsas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modo formato, & recens nato, quodammodo exosculamur, quando id quod DEUS fecit amplectimur. Hanc eandem Cypriani auctoritatem Magnus ille Hypponenesis Episcopus Augustinus ferè eisdem allegat verbis in lib. 4. ad Bonifacium cap. 8. contra duas Epistolas Pelagianorum, nonnullique alii recentiores, amborum Patrum referunt dicta inter quos Ioseph Vice-Comes in suo tractatu de antiquis Baptismi ritibus, ac cæremoniis lib. 5. cap. 1. ubi in fine colligit, hunc osculandi morem diù in Baptismi Sacramento durasse, donec veteri simplicitate in fraudem, & malitiam verti cœpta, eum Prudenti consilio Patres ab Ecclesia sustulerunt.

Pro majori hujus sententiæ robore, auctoritatem Gabrielis Albaspinei, Aurelianensis Episcopi, addere volo, qui in suo tractatu de Eucharistia lib. 2. cap. 15. S. Ambrosii locum in Psalm. 39. adducit; ubi sic: *Osculum, quod sacra pacis insigne est, osculum, quo amicitia fida firmatur, osculum, quo fides sancta signatur.* Laudatus notat Albaspineus, locum hunc ad baptismatis osculum alludere, ac fidem exprimere, quæ in Baptismate recipitur, ac osculo signata, & obsignata erat, idque antiquis Patribus, eorumque Doctrinæ conforme esse asserit; Quoniam sicut Tertullianus dicit, osculum pacis in missa, orationis signaculum erat, ita S. Ambrosius pronunciat, quod erat signaculum fidei; quam obrem apparet pacis osculum, tam in baptismate, quam in Missa fuisse datum. Hancque eandem disciplinam, ordine Romano comprobari scimus in Tractatu cæremoniæ Baptismatis, ubi refertur Episcopum, postquam Baptizatis candidas dederit Vestes, eisdem dicere: *pax tecum*, quare istæ voces sunt, quæ in osculo pacis pronunciantur, & licet ordo nullam de hac actione mentionem faciat, nihilominus refert verba, quæ semper ipsam sociantur actionem, demonstratque Baptizatos deosculari. Hæc Laudatus Albaspineus. Itidem sacrae historiæ peritissimus Lupus prædictam etiam S. Cypriani locum Tom. 3. in dissertatione de S. Leonis IX. actis Crimine octavo pag. 914. adducit. Quare ex allegati S. Cypriani auctoritate, ac citatorum Scriptorum sententiis infero, ritum hunc, deosculandi Baptizatos, etiam in sexagesimo sæculi fine viguisse; Quare ad rem nostram: Theodelinda tum propter verecundiam, tum etiam ne fortasse novo conjugii, ex osculo, aliqua oriretur Zelotypiæ passio, noluit ab aliquo Presbytero baptizari, sed impetrata ab Episcopo licentia, munus hoc alicui confidenti, & forsitan consanguineo demandari voluit, & sic supra citata clarescit prome Tertulliani auctoritas, scilicet, *aut personæ conditio compellit.* Concurrere etiam cum osculo alia verecundiæ in mulieribus præcipuè considerabilis causa, nempe corporis denudatio, nam baptizandi sive masculi, sive foeminae, sacrum lavacrum sine indumentis intrabant, ut diversi probant Scriptores, præsertim citatus Vicecomes lib. 4. cap. 10. Casalius de Vet. sac. Christ. Ritibus cap. 5. Lupus in disertat. de S. Leonis IX. actis Calumnia XII. At ex ipsa figura id apparet, ubi illa foemina sponta visitur, præterquam partibus verendis velo obductis. Hæc de Ministro satis sint. Ad secundam difficultatem, nempe de Baptismi ritu progrediamur.

Certum, ac indubitatum est Priscos fideles, ubi se offerebat occasio, ibi baptizatos fuisse, nam alii in fluminibus alii in fontibus, alii in stagnis, alii in viis, alii in mari. alii in domibus sacrum susceperunt Baptisma, ut fusè ostendunt præcitati Auctores; formam autem, quæ in baptizando observatur, promiscuam fuisse, credendum est, nam si erant in loco; ubi baptizandi in aquam se immergere poterant, baptismus per immersionem conferebatur, si autem alio in loco, ubi flumina, fontes, ac similia minime reperirentur, aqua super caput effundebatur. Ostendit Laudatus Vicecomes eodem suo tractatu dicto lib. 4. cap. 7. ut etiam lib. 7. cap. 2. quod quando fiebat Baptismus per immersionem baptizandus à summo vertice ad imos pedes in aquam mergi solebat. Id etiam confirmat citatus Lupus in dicta sua dissertatione de Sancti Leonis IX. Actis Calumnia 12. Quare supra laudata Theodelinda cum Agilulfo Viro suo, tum ob pudorem foemineæ sexus, tum etiam ob utriusque sublimitatem generis, noluit publicum adire baptisterium, & propterea eorum baptismus in pelui, siue capaci vase



FAVXIT MACTATOS HIC VIVO FONTE RENATOS



QUANDO BAPTIZAVIT BEAT ROMANVM

vase peractum fuit, haud tantæ quidem profunditatis, ut etiam caput in aquam im-
 mergere possent; idè defectum hunc, aquæ aspersio super caput supplevit, cum, &
 ista sola sufficiens esset, ut latè demonstrant citati, alique Auctores de Baptismo tra-
 ctantes, inter quos jurè annumerandus est Angelicus ille Doctor, præclarumque Ec-
 clesiæ lumen, S. Thomas Aquinas in 3. parte summæ quæst. 66. art. 8. Licet nonnulli ex
 eisdem Auctoribus asserant, Baptismum per Immersionem fieri à planta pedum usque
 ad summum verticem capitis; nihilominus alii excitant dubium: An in trina immersio-
 ne celebretur Baptisma? nam hæc Immersio, & Emergio ter repeteretur; propterea du-
 bitant, an Baptizandus ab aqua totus profliret, vel tantum corporis parte emergeret?
 sui anticipiti quæsito respondeo; quod Sacerdos baptizans, manum super baptizandi
 caput imponebat, ac illud leviter comprimens, indicabat baptizando, quod sub aqua
 se totum demergeret. Hoc peracto statim baptizandus pectore tenus ab aqua surgebat,
 iterumque Sacerdos comprimebat caput, tertioque id repetebat. Ad hunc demonst-
 randum actum Picturæ adduco exemplar, quæ adhuc in vetustissima Cappella in Ecclesia S.
 Pudenticæ Urbis, retrò Musivum opus, quod eadem in Ecclesia spectatur. Pictura hæc
 fornitem delineata est, redoletque antiquissimum tempus, cum picturæ non sint ita
 malè formatae, ut circa, & post millesimum efformatae apparent, docetque Philippus
 Baldinucci in suo Opere: *Notizie del Disegno &c.* Ejusdem Picturæ exemplar demonstro
 in annexa Tabula, figura prima, ad cujus ritus baptizandi majorem elucidationem ad-
 duco Albinus, sive Albinus Flacci, seu Alcuini auctoritatem. Ipse enim, qui vixit octavo
 sæculo, in epistola ad Odvinum presbyterum ita scribit: *In nomine Sanctissimæ Trinitatis*
trina submersione baptizatur, & rectè homo, qui ad imaginem Sanctæ Trinitatis conditus est, per in-
ocationem Sanctæ Trinitatis ad eandem renovatur imaginem, & quia tertio gradu peccati, idest
consensu cecidit in mortem, tertio elevatus de fonte per gratiam resurgat ad vitam. In hac assertione
 duo perpendenda sunt, nempe vox *submersionis*, quo totalem corporis in aquam immer-
 sionem denotat, itemque voces, *tertio elevatus de fonte*, quæ trinam immersionem, & ter-
 tiam emersionem designant, ut supra indicavimus: Hac occasione, alteram placet ex-
 hibere Picturam, quæ multum à prima delineatione differt, cum deteriori modo deli-
 neata appareat, idèque tempore posterior. Hæc cernitur in Ecclesia S. Laurentii extra
 muros Urbis, sinistrorsum, post Januæ ingressum, cum aliis ibi malè efformatis figuris,
 S. Laurentii vitam demonstrantibus. In secundo harum figurarum ordine, ac tertio loco
 est figura, quam exhibeo in relata Tabula sub num. 2. Ibi cernitur S. Laurentius Beatum
 Romanum baptizans, ut ipsa Epigraphes explicat; sed quod curiosum spectatorem red-
 dit, est, tam S. Laurentium, quam B. Romanum urceolos cum duabus ansis manibus
 utrumque gerere: S. Laurentius urceolum elevatum in actu fundendi aquam tenet; B.
 vero Romanus alterum aqua plenum ipsi Laurentio, dextera manu, porrecturus erigit,
 scilicet quando primus urceolus aqua fuerit evacuatus. Ex hisce duobus urceolis trinam
 arguo asperisionem; nam statim atque Baptizans in prima asperisione totam aquam in
 urceolo contentam super Baptizandum effuderat, illicò Baptizandus alterum urceolum
 aqua plenum Sacerdoti offerebat, ut secundam faceret asperisionem; sicque de tertia;
 quamobrem ex hujusmodi actibus, etiam tacitum baptizandi consensum non sine fun-
 damento inferimus, dum propriis manibus materiam pro Sacramento conficiendo sub-
 ministrabat. Hunc B. Romani Baptismum à S. Laurentio peractum Walafridus Strabo,
 qui nono vixit sæculo, in suo de rebus Ecclesiasticis libro sic narrat: *Notandum non solum*
emergendo, verum etiam de super fundendo, multos baptizatos fuisse, & adhuc posse ita baptizari, si ne-
cessitas sit, sicuti in passione B. Laurentij quendam urceo allato legimus baptizatum. Hoc etiam solet
 evenire cum proveciorum granditas corporum in minoribus vasculis hominem tingi non patitur. Quæ
 posteriora verba in allatis sarcophagis optimè applicantur, cum utriusque Baptismatis
 ritus, scilicet per immersionem, & asperisionem ibidem observatur. His relatis non offi-
 cio, quod opponi possit: Baptizatos statim post Baptismum, antiquitus fuisse confirma-
 tor,

tos, ergo perneceffe erat, quod Minister effiet Episcopus; At huic obiectioni respondeo cum præcitato Vice-comite eodem lib. 4. cap. 29. quod si Episcopus absens erat, baptizatus suscepto baptismo, quanto citius fieri poterat, ab Episcopo confirmabatur. Et hæc de Baptismatis ritu.

